Bieżanowski Stanisł. Joseph: Utraque cives Illustres et Gnosi Dni Michaël et Ioannes de Hoorew Bal…

VTRAQ; CIVES,

Illustres & Generosi Domini,

MICHAEL, & IOANNES,

De Hoczew

B A L,

Illustris & Magnifici Domini,

S T E P H A N I

De Hoczew

B A L,

Vexilliferi Terrarum Præmisliæ,
Sago, togâq; Inclyti Herois, & suauissimi
Nestoris,
Charissimi FILII, viuæq; Imagines,
Ambo Cygni, Arcades ambo,
In Archigymnasio Iagielloniano,
Pro militari, & Literata Pubis Sarmaticæ disciplina, pari animorũ feruore, nec dissimili Eloquentiæ gloriâ, decertantes,
Faustâ Acclamatione
ex voto Nobilissimæ Magnorum Hospitum Coronæ,

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI Phil. D.

E X C E P T I.

Anno Domini 1660 Die 29 Februarij

CRAC: Apud Viduam Lvcæ Kupisz S. R. M. Typog.

IN GENTILITIVM
NOBILISSIMÆ DOMVS INSIGNE



Innocui Candoris opes, & Regna beata,
Non alio virtus condidit alma loco;
Quam quo Liligeræ voluit,, dos maxima Stirpis
Flos niueus, caſtas depoſuiſſe niues.
Felices animæ, quibus hæc viridaria vernant,
Pulchraq; de niueo gloria flore venit;
Hos inter flores, hæc inter LILIA; *diuæ*
Virtutis propriam, quis neget eſſe Domum.

FEssum trecentis cladibus, & graui
Martem Polonum vulnere saucium,
Hæmum fatigatis niualem
Fama volat petijsse bigis;
Grandiq; nixum robore, Dacicas
Inter Sagittas, densaq; fulmina
Inter Sarissarum, reclinis
Ense procul, procul & minaci
Locasse Conto, pondera corporis;
Cristatus alto non nisi vertice
Apex rigebat, ægidemq;
Threijciam caput ære multo
Cinctum, Leoni Signaq; Baltico
Erepta pressit; dextera grandibus
Perfuncta curis præliorum
Præteritos numerabat ictus:
Sic vasta duris membra laboribus
Dum soluit; alto pectore concita
Narratur expressisse verba,
Et rigidis gemuisse fibris:
Eheu Polonæ germina gloriæ!
Dilecta nobis pectora, sæculis
Cantata priscis, Sarmatarum
Magnæ animæ, solidoq; ductæ
Auri metallo! quò super arduos
Colles Olympi, Regnaq; nubium Pennâ

Pennâ volucri ſubuolaſtis
Elyſiæ decora alta terræ?
Auguſta Diuûm vos Capitolia,
Lareſq; ſacri, pacificos tenent;
Merſoſq; gaudio perenni,
Gemmiferæ duodena portæ
Seruant beatis limina poſtibus;
At Orbis Eheu Lechicus occidit!
Fumatq; triſtibus fauillis,
Iliacos imitatus ignes!
Hiant dolentis viſcera Patriæ;
Pares vetuſtis dum Patribus Viros
Dudum requirit, conditoſq;
Scipiadas, Decioſq́; plangit;
Æquè togatis artibus, vt meis
Claros triumphis, dum bene computo,
Pacis bellorumq; Atlantes,
Heu video, venerorq; paucos!
At ô cruenti pulueris Arbiter
Polone Mauors! deſine triſtibus
Pectus fatigatum querelis,
Biſtonijs lacerare campis;
Vixêre fortes ſemper, & æmulâ
Virtute, nunquam viuere Sarmatæ,
Domiq; ceſſabunt, foriſq;,
Magnanimos referentq; Patres.

Suos

Suos Habebunt ſæcula Coclites,
Scæuaſq; ſemper. nullaq́; fortibus
Ætas Alexandris carebit,
Sola hominum fugit. vmbra; ſed res
Ducumq; virtus ſæpe eadem manet.
Educat alti ſanguinis inclytas
Ales Polona, bellicoſæ
Rurſus opes, Sobolemq; ſtirpis;
Cuius decoro prodit ab agmine
Par dulce fratrum, Martia literis
Arcana coniungens, togamq;
Cum lituis, ſine lite prenſans.
Fælix BALORVM Progenies, bonis
Seruata ſpebus, grandeq; poſteris
Virtute tranſmiſſura nomen,
Ingenio, gladioq; partum.
Adhucne priſcis æmula mentibus
Gradiue quæres pectora ? cor Patris
Suſpendat, attollatq; mentem
Diue Tuam; roſeiq; nectar
Illime labri, flexanima trucem
Stringat catenâ. Scilicet vnica
Ad vniuerſæ laudis augem,
Sufficiet Patris vmbra Magni.
Pugnacis hic eſt cor & amor Lechi,
Equeſtris hic eſt delitium ordinis

Et

Et Sanocenſis gemma terræ,
Flos populi, columenq; Ciuium:
Vexilla tollens, trux quoties ciet
Bellona ſæuo claſſica turbine,
Bonumq; pacis efficaci
Conſilio, Eloquioq; firmans,
Res Sarmatarum publica ſerias
Dum poſcit artes, magnus in ardua
Negotiorum mole Neſtor,
Inq; bono Patriæ triumphat.
Parente tanto non poterat minor
Propago naſci· Prodit ab aureo
Fulgore Patris, Filiorum
Dulce iubar, radiuſq; triplex;
Quos vna caſtis vberibus parens,
Diuina Pallas Cracigenûm fouet;
Gaudetq;, dum claro Parentum
Progeniem videt ire paſſu.
Pro! quantus ardor! quantaq; pectorum
Ad eruditæ culmina gloriæ
Virtus anhelantûm! togatis
Dum laribus, ſimiles per auſus
Germana certant ſydera; Martios
Pro literato puluere Spiritus,
Plaudente Muſarum coronâ,
Dũ MICHAEL probat; ante ſummos
Regni

Regni Quirites, Luceq; publicâ,
Quod Eloquenti (non sine plausibus)
Suadâ probauit; consulentûm
Dum Patriæ potuit secretos
Proferre sensus, os Patris aureum
Subselliorum visus in arduis
Monstrasse rostris; idem & inter
Fulmineas acies, & inter
Densas phalanges robore masculo
Vexilla gessit Signifer; Arctico
Seu Varca fatalis leoni,
Vandalidûm posuit cruentis
Trophæa campis; seu fera mænibus
Præmissiacis bellua, turpiter
Abscessit Hunnorum; nefastis
Seu cecidit malesanus armis
Racocianæ militiæ furor,
Factus Gelonis præda rapacibus,
Lususq; sæclorum; flagellis
Ipse suis, meritoq; cæsus
Exulcerati vibice Numinis;
Acer salutis Lechiacæ stetit
Vindex, triumphatisq; primam
Hostibus excoluit iuuentam.
Parem IOANNIS mens quoq; grandibus
Dicanda curis, laudis adoream

Mere-

Meretur, hic facunda Musis
Bella mouet; rigidæq; pubem
Martis Palæstræ vindicat, aureo
Orationis flumine; dicere
Paratus, aggrediq; magna
Eloquio facilis, manuq;.
His ambo clari dotibus, indolem
Ad summa natam, Palladijs probant
Quando duellis, eruditos
Craciadum meruêre plausus.
Oquam Senatus vota Academici
Pulchrum est mereri! quod solidissimæ
Nectar voluptatis, togata
Rostra super, paribus refertis
Dilecta fratrum pectora gaudijs;
Sed nec diserti mustea suauitas
Minor STANISLAI, leposq;
Illecebris roseoq; plenus
Exuberantis flumine gratiæ;
Cum purpurato Rhetorum in agmine
Lingnam Senatorum, & decoros
Purpureo tulit ore vultus;
Ætate maior, menteq; gratias
Complexus omnes. Sed quis erit modus
Vestris, olores candidati,
Laudibus? absq; modo canentem
Quo-

Quoquo poetam? quo trahitis precor?
O vestri amantem! reddite me mihi!
Traxistis Eheu mancipatum,
Quo nequijt renuisse vatem!
Ergo citatos sistimus impetus;
Vestris serenos dum studijs dies
Vouemus, & frequentiores
Ingenio vigilante palmas:
Vtraq; Ciues, vt calamo librum,
Stylumq; conto, castraq; literis
Iungatis; & quà Liliorum
Vos niueus iubet ire callis,
Ad æuiternæ munera gloriæ,
Decusq; priscum Stemmatis inclyti,
Candoris ò Flores eburni,
Liligero properetis Orbe:
TARŁOVIORVM fortibus Ascijs
Confæderati Sanguinis, aureo
Nexu ligati; queîs vetustæ
Pulcher honos HODOROVIORVM
Ducale iungit præsidium Domûs
Ratnensis olim gemmiferum mitræ
Ornamen; & quas purpuratæ
Stirpis opes LEOPARDVS addit
Dotatus altâ lucæ curulium,
Vestriq; captus germine Lilij;

A Ful-

Fulgurq; Lunæ OSTROVIANÆ;
Quo liquidas iaculante flammas,
Materna latè vos decora ambiunt,
Trahuntq; vasto stemmata cardine;
Longâq; sæclôrum catenâ
Aligeræ monumenta famæ.
Hos inter ignes, densaq; fulgura
Tot claritatum, numine prospero
O LILIORVM dulce pignus,
Ite atauis similes, auisq;.

NEc aliter decet, inter candentia Lilia; atq; adeo in ipso venustissimæ, consummatæq; virtutis meditullio natos, ad immarcescibilē maiorum suorum gloriā, contendere Posteros. Trahit vos Illustres & Generosi Domini,, trahereq; debet, ad Heroica quæq; facinora, Gentilitij LILII vestri domestica, & admirabilis fragrantia; cuius natiuo, propeq; hæreditario dulcore non capi; nō animi vestri id, cultissimi nēpe, & ad optima quæq; suapte naturà incitati est; sed obesæ potius naris hominū; quibus nec sua nec áliena virtus cordi est. Multa quidem sunt, quæ vos vndiq; circumstant, pronæ in vos cælestium, terre-

striumq;

ſtriumq́ bonorum affluentiæ decora; ſed illud in præcipuis habeo; quod vos alienis ad virtutem niti, incitariq́ exemplis non oporteat. Carò aliis, multoq́ ſudore conſtat, eorũ, quæ Ciues Optimi reddunt, intra alienas familias, quæſitus ſplendor, vitæq́ regula, & actionum amuſſis. at vobis ante oculos veſtros, ſpeculum magni Parentis veſtri, & flos illibatus verſatur; in quo, quidquid ad abſolutũ virtutis, & immortalis gloriæ compendium ſpectat, quotidie legere, & manu facili decerpere poteſtis. Hic enimuero Neſtor ille eſt; in quo Eloquentiæ Sarmaticæ Maieſtatem, & prudentiſſimi conſilij penu ditiſſimum, nulla vnquam ætas amare, ſuſpicereq́ deſinet. Hic ille Gentilitij Lilij *veſtri, apex ſũmus, & odoratiſſimus eſt; qui non Illuſtriſſimas tantum magnarũ ſtirpium Domos, conſanguineo fœdere iunctas; non Principum tantum im Republica Virorum, Procerumq́ ſellas curules, & Senatoriã ãplitudinẽ; ſed ipſos quoq́ Sereniſſimorũ Poloniæ Regũ Thronos Regales, eouſq́ in amorem, & admirationem ſui traxit; vt amplissimis quibusq́ honoribus ſæpius deſtinatis;*

nunc etiam honorificentissimos de se omnium sensus, vbiuis experiatur; & iamiam imminenti insignium meritorum suorum coronamento, summa omnium expectatione præparetur. In hunc itaq; oculos vestros, & mentium aciē defigite: ad hunc solem, fontemq; lucis vestræ, conspectui vos publico præparate; cui vt bonis artibus, disciplinisq;, nihil vnquā antiquius fuit; vt pote, de quarum gloria, cum politissimis quibusq; ingeniis, facile contendere possit; ita quoq; Vobis literato sapientiæ exercitio, assiduoq; ingeniorum vestrorum cultu, nihil carius esse debet; si Lilia *vestra æterni, incorruptiq; candoris, & inexchaustæ fragrantiæ, in aprico lucis publicæ durare, & perennáre desideratis.*